

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Conuersacio ay  
cum fonte primo

Omnis tibi pares facies,  
inferiores superbiendo non contempnas,  
superiores recte uiuendo non timeas.  
In reddenda officiositate  
neque exactor neque negligens appareas.  
Cunctis esto benignus, nemini blandus,  
paucis familiaris, omnibus equus.  
Seuerior esto iudicio quam sermone  
et uita quam vultu,  
clemencie cultor,  
clemens ultor, seuicie detestator,  
fame bone neque tue seminator  
neque alienae inuidus, rumoribus, criminibus,  
suspicionibus minime credulus,  
sed malignis pocius qui per speciem simplicitatis  
aliquibus subrexerint oppositissimus,  
ad iram tardus, ad misericordiam pronus,  
in aduersis firmus, in prosperis cautus,  
  
occultator uirtutum sicut alii uiciorum,  
uane glorie contemptor et bonorum  
quibus predictus es non acerbus exactor.  
Nullius imprudenciam despicias.  
Rari sermonis ipse, loquencium paciens,  
seuerus seueris, sed hylares non aspernans.  
  
Seneca de quattuor uirtutibus.

Omnis tibi pares facies:  
si inferiores superbiendo non contemnas,  
superiores recte vivendo non timeas.  
In reddenda officiositate  
neque neglegus neque exactor appareas.  
Cunctis esto benignus, nemini blandus,  
paucis familiaris, omnibus aequus.  
Severior esto iudicio quam sermone,  
vita quam vultu,  
  
ultor clemens, saevitiae detestator,  
famae bonae neque tuae seminator  
neque alienae inuidus, rumoribus, criminibus,  
suspicionibus minime credulus,  
sed potius malignis qui per speciem simplicitatis  
ad nocendum  
aliquibus subripiunt oppositissimus,  
ad iram tardus, ad misericordiam pronus,  
in adversis firmus, in prosperis cautus  
et humilis,  
occultator virtutum sicut alii vitiorum,  
vanae gloriae contemptor et bonorum  
quibus praeditus es non acerbus exactor.  
Nullius imprudentiam despicias.  
Rari sermonis ipse, sed loquacium patiens.  
severus ac serius, sed hilares non aspernans,  
sapientiae cupidus et docilis.

Martinus Bracarensis, *Formula vitae honestae*, 4  
(C.W. Barlow ed., pp.245-6, ll.56-70).